

610^b

Theol. cath.

B.

1102

1639 Th:

Theol. Cathol. 978

915

O B E L U S,

A

BARTOLDO NIHUSIO

APPOSITUS AD

CONRADI HORNEII,

ECCLESIAM CATHOLICAM

VELLICANTIS,

INCONSIDERATAS

DE SCRIPTURARUM CANONE

DISCEPTATIONES.

Surgentem ad Zephyrum paleæ jaçantur inanes.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud IODOCUM KALCOVIUM.

c15 I5c XLVI.

Permissu Superiorum.

L E C T O R I.



Acem hodie poscunt plurimi. Quidni? Sed pax demum solidissima nobis foret, si in fide & religione essemus unanimis. Eximus, (quis enim sapiens desperet?) si id agamus, ut simus. Quod ipsum qui penitus noluerimus, indigni fuerimus, qui nominemur Christiani. Tractabimus autem negotium istud exiguo negotio, & sumtu minimo; si, qui nostri non sunt, è nostratibus, quomodo intelligat explicetque Ecclesia Catholica suam doctrinam, & quid ad illa, quæ videantur potissimum adversari ei, respondeat, inquirant animo tranquillo & amanter per literas, nec finem faciant inquirendi, nisi ubi utrimque in eandem conspiratum fuerit sententiam. Revera enim hæcenus ab antagonistis affinguntur nobis plurima. Quæ si nostra esse agnoscamus, mirum non sit, alienam eos à nobis mentem gerere. Et periculum fieri quidem posset, excutiendo caput fidei nostræ non nisi unicum præcipuum. Quodnam vero? De Ecclesiæ militantis universæ regimine monarchico. Immo, hæc de re si convenerit inter nos, nihil forsitan peragendum ultra superfuerit. Quod ipsum ego dicens, recordor, existimari à multis, Rom. Pontificem esse Patriarcham quidem jure humano, potestate autem Patriarchis cæteris, adeoque jure divino, superiorem censitum Ecclesiæ non fuisse primitus. Qui certe est error nimis enormis ac grandis. Quod ostendunt, præter alios, Jo. Mattheus Caryophilus contra Nilum Thessalonicensem, & Petrus Arcudius contra Barlaamum; Græci nempe Catholici duo recentiores, contra Schismaticos Græcos duos, qui circa annum c. d. cccl. vixerunt sub Ioanne Cantacuzeno; (quanquam Barlaam tandem Latinis, à quibus desciverat, reconciliatus, & Hieracensis Episcopus factus, pro iisdem scripsit nonnulla, quæ Canisius edidit.) Sed omnium superat hæc solertiam dexterritatemque Leo Allatius noster, itidem Græcus, divino de Græcis opere, quod penes me est, evulgabiturque, quam primum typographo cuiquam erit opportunum. Nunquam profecto solidius ego scriptum vidi meis oculis. Quod propterea moneo, ut eum librum, ubi prodierit, ante legant Lutherani & similes, quam contra nos judicent: præsertim quia nullo hæc jure nostri ipsi sint iudices hæcenus.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

I.



Libros, Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, & similes, esse proprie Canonicos, edoctis ab Ecclesia Catholica nobis, Hornejus, quanquam non solus, negat. Ratio ipsius est inter alia, quia negent id hodie Graeci quoque omnes, teste Metrophane Critopulo. Atqui Metrophanes ille Calvinianus magis quam Graecus erat, quum testaretur istud: (sicuti eum etiamnum talem esse, ex Graeco habeo, qui & amicus ipsi & eidem pariter sectae affinis, asserens, teneri nunc ab eo Patriarchatum Alexandrinum.) Monui paucis id, Prologo scripti Allatiani de Papissa, sub initium. Legisse videntur hoc Lutherani, qui dixerunt Catholico cupiam, ab Horneio interim vehementer alio pacto uri in eodem negotio Catholicos, & vero ibi ne mutire me quidem contra fuisse ausum. Ubinam, fodes? Ita ego sciscitatus, ecce, remittor ad Disputationum anno cIo Ioc xxxii ab Horneio editarum tertiae quaestionem primam. Inspicio; atque, ejusdem anni autumno Hildeshæmi in cœna penes Jac. Stajum idem de Horneio fuisse jactitatum à nonnemine, recordatus, respondeo, ridiculum nobis illic scriptorem eum esse; tum quia volumine prorsus eodem, Critopulum, ut memoravimus, adducens, exorbitet, tum quia nec aliàs proferat saniora. Itane? ait amicus iste meus Catholicus; rogatque, ut, non operose quidem, sed solum per compendium obiterve, id comprobem. Faciam.

II. Sententia nostra Catholica est, libros, de quibus agimus, non minus esse Canonicos, quam reliquos, Veteris Testamenti Hebraicos, & Novi Graecos. Quare? Quia semper ab initio ita existimavit Ecclesia Catholica nostra ipsamet per suos rectores, vivaque voce, ut Christus omnia, tradidit; immo, ignorare id vel quoque negare occipientibus privatis quibusdam, decreto insuper, in literas relato, pronunciavit x Kal. Mart. ccccv, per Innocentium I, tanquam Regis Christi Proregem in terris, anno ccccxvij vita functum; quem sequuta anno ccccxix Synodus Carthagenensis, ejusque ductu dein Augustinus libris de doctrina Christiana, sub Sixto III, Pontificatum adepti post annum cccxxxj; & anno cccxciv Gelasius I cum Lxx Episcopis in Concilio Romano; ac demum Concilia generalia duo, Florentinum cIo ccccxlj, & Tridentinum cIo Iolxiv. neque vero traditio ista idcirco discontinua censenda, quia scripserit Innocentius I quinto demum seculo ineunte, & ante eum sic scripsisse reperiatur hodie nemo, inter Gelasium item & Concilium Florentinum distantia fit annorum fere mille: nam, ut audivimus, voce viva derivatus per Antistites doctoresque continuo fluxu ad nos usque consensus iste Ecclesiae ipsius, de iis, quæ ab Innocentio I cæterisque scripta diximus, quanquam & eadem consignata seculo sexto à Cassiodoro, septimo ab Isidoro Hispalensi, nono à Rabano Mauro.

A 2

III. Quid

III. Quid jam Hornejus? Pontificiorum id objectiones vocat: quum Ecclesia nostra tamen, ut sæpius alibi indicavimus, optimo jure sit Respondens, & ipse cum suis Opponens, Respondens autem non objiciat, sed Opponens. Caveat sibi Hornejus à Joanne Scharfio Witebergico; ut qui anno cIo. lccxxxv libellum de officio Opponentis & Respondentis emisit in publicum, vehementer castigans peccatum istud, adeoque sic demum finiens: *Tanta imprudentia, ne quid gravius dicam, disputatorum Lutheranorum est, ut fere ubique confundant Argumentantem cum Respondente.* Sane, Hornejum ita agere cum nostratibus, detexi antehac modice, Apologetici cap. v; nec monerem id iterum facile, nisi inpingeret sic ille passim; Catholicos, quia ab eis non convictus, explodens, ubi tantum defendunt se, (nisi quod subinde, mentem suam explicando, docentis miscent partes,) ipse vero potius convincere Ecclesiam debebat, si posset, erroris vel unici, quod quidem vel solum qui observaverit, jungens ea maxime, quæ de Respondente & Opponente tradita ab Hornejo fuisse retulimus ejusdem Apologetici cap. iv; is Disputationum ipsius contra nos molem omnem dejiciet multo facilius, quam Samson palatium Philistæorum; evaderque incolumis cum gloria. Quin & impugnare conatur Hornejus nostram de librorum V. T. illorum auctoritate sententiam Catholicam, ac stabilire postmodum quoque Lutheranam, nostræque multum antepone.

IV. Contra nos tela torquet quatuor. Primò ait, libros illos V. T. non fuisse Canonicos in Ecclesia V. T. Ecclesiam verò N. T. non potuisse unquam ex talibus facere Canonicos. Respondeo. Quicquid sit de antecedente, unde scit Hornejus, Ecclesiam N. T. id non potuisse primitus? Christusne ipse id potuerit? immo nec potuerint Apostoli, Spiritu sancto pleni? Potuerunt potius, ut nos credimus, omnino, si non è libro haud divino facere divinum, certe ex divino non Canonico divinum Canonicum. sunt enim scripta divina plura, Canonica pauciora: & quilibet liber Canonicus fuit ante divinus, quam fieret Canonicus; utpote qui tum demum fit Canonicus, quum obligantur à promulgante agnoscere Christiani eum pro divino, & venerari ut legum divinarum codicem, partemve codicis. cujusmodi revelationes divinas cæteras ita amplectendi necessitas nobis non est. Libri, inquam, V. T. de quibus hîc agitur, viva voce primitus ab Ecclesia N. T. declarati sunt esse divini, atque insuper adjuncti Canonicis. Hanc nostram sententiam Hornejus negat, non autem confutat argumento ullo; sicuti neque confutabit unquam. Non sufficit autem, si Respondentis thesin Opponens neget solummodo.

V. Secundo ait, nostram Traditionem non esse continuam. Quamobrem, obsecro? Quia non reperiatur annotata à scriptoribus omni hucusque seculo; sed secula pleraque, tum ante Innocen-

nocen-

nocentium I, tum Gelasium inter & concilium Florentinum, testibus ejusmodi destituantur hodie, præter Cassiodorum quidem & Isidorum & Rabanum. O ratiunculam stramineam! Viva voce propagavit Ecclesia Traditionem eam; perinde atque à natione quavis, respiciente peregrinas loquutiones, transmittitur usu continuo notitia linguæ vernaculæ ad posteros. Immo, conservavit Ecclesia & conservat sic melius eam Traditionem, quam natio ulla suam linguam vernaculam: quia est instar non nationis tantum sed & unius hominis, uno corde & uno ore præditi, neque morientis unquam neque obliviosi aut erroribus obnoxii, idque beneficio Spiritus sancti certissimo semper, in talibus. Quam rem explicamus alibi ex professo. Vivæ autem vocis usu custoditus consensus ille primarium est fundamentum post auctoritatem Dei revelantis, & cum eadem admittendum, à nobis præsertim, quibus fidei dogmata non revelantur immediate divinitus. Si consensus ille in literas referatur aliquando, id secundarium quid est; non quia necessarium itidem simpliciter pro universa Ecclesia, sed quia maxime opportunum usibus privatorum, quibus memoria labilis aut adminiculorum ejusmodi alias indiga. Perinde atque fides ipsa, in Scripturis, non ex visu sed ex auditu esse, dicitur. Quapropter, nostram Traditionem interruptionis accusat Hornejus nimis inscite ac temere. Cujus temeritatis fons est, quod somniat, nullius rei scientiam derivari ad posteros posse, nisi monumentis literarum, gestæ rei coævis. Quod somnium vanissimum est, etiam Jurisconsultis testibus, utpote consuetudinem non scriptam legi quoque scriptæ æquiparantibus: ne dicam, rectissime & à sapientibus asseri passim, non esse de essentia legis, ut sit scripta; sufficit quippe, si auditu sit percepta, & commendata memoriæ. Et, an non ritus & Ecclesiasticam disciplinam conservari sine scripto posse diutissime, fatetur Hornejus ipsemet? Immo, an non barbari, literarum ignarissimi, cum lingua vernacula, historiolas, narrando subinde aut cantillando, quin & suæ tum politiæ tum religionis leges ipsas, propagant in seram admodum posteritatem?

V I. Tertio ait, ab Innocentio I, vocem Canonici sumtam ita laxè, ut ipse etiam libros, non proprie Canonicos, Canonicis adnumeraverit. Falsissimum est: neque Hornejus contrarium demonstrat. At, inquit, Augustinus distinguit inter libros protocanonicos & deuterocanonicos, minorem tribuens hisce auctoritatem quam illis: ergo & Innocentius, immo & Concilium Carthaginense & Gelasius I fecerunt idem. Respondeo. Fecerit id Augustinus; an ideo fecerunt & isti duo Pontifices Romani, cum ea Synodo? Negamus pernegamusque, vel minimo eos verbulo tale quid innuisse. Unde neque Hornejus quidquam hujus ex ipsemet probare vel aggressus fuit. At neque Augustinus, libris de doctrina Christiana, id voluit, quod putat Hornejus. Dicam enim ego; ubi agendum cum Judæis, præferendos V. T.

libros Hebraicos libris N. T. Græcis, an inde inferas tu, minoris apud me auctoritatis esse libros N. T. Græcos, quam V. T. illos? Desipias equidem, si sic sapias. Ita autem fere agit Hornejus ibi cum Augustino, utpote non dicente aliud, quam, Scripturæ libros esse auctoritatis majoris vel minoris, non in se, sed apud Christianos, prout plures paucioresve Ecclesiæ Catholicæ sciverint, eos esse Canonicos. Qui Hornejus nec Augustinum cæteroquin tractat melius: quod palam reddere una quoque possum, si brevitatem, cui nunc studeo, refugeret ferre necessitas.

V. I. I. Quarto ait: *Catalogus ille Scripturarum Concilii Florentini suppositicius est, ut & decreta ista omnia, quæ super unione Jacobitarum & Armenorum in summa sua recitat Carranza.* Nego pernegoque. Nec vero ipse probat, quod affirmat. Nititur quidem id præstare duobus argumentis. *Nec enim, ait primum, vel decreta illa vel inter ea Canon ille Scripturarum in tomis Conciliorum ullius editionis exstat; sicut testatur Rob. Cocus in censura veterum scriptorum.* Secundo inquit: *Catalogum eum Scripturarum genuinum non esse, inde etiam mirifice confirmatur; quod Antoninus Archiepiscopus Florentinus ipse Concilio illi interfuit, nec minus tamen libros illos controversos omnes è Canone rejicit.* Sed, mi Conrade, nescis, quid dicas. Jacobinorum & Armenorum cum Latinis Unio, ex qua nostrum Canonem Carranza depromsit, nequaquam est scriptum suppositicius. Patet hoc nobis abunde vel è Concilio Florentino, ut est editum anno cIo lxxxviii Romæ ab Horatio Justiniano, Bibliothecæ Vaticanæ Custode primario: utpote ubi Unio ea producitur solidissime ex documentis authenticis; quorum saltem apographa, ut plurimis aliis, ita & Bartholomæo Carranzæ, antequam scriberet, visa fuisse, satis nunc liquet. Ac proinde facile est, argumentum tuum utrumque refellere. Post Joan. Rainoldum enim Robertus Cocus testetur, suppositiciam esse Unionem istam: an testes hi apud nos idonei? Apage nugas. At, inquis, Cocus anno cIo lxxxiij scripsit, nec Unionem eam cum Canone illo in tomis Conciliorum ullius editionis exstare. Esto: quid inde? An Concilii Florentini acta tomis Conciliorum à quiquam tunc inserta erant omnia? Falsissimum est. Actorum istorum aliqua latuerant eos, qui ante Cocum evulgarant Conciliorum tomos: illa nempe, quæ diximus prodita in lucem esse ab Horat. Justiniano. Ut plura nunc taceam. At, inquis, Cocus, inde quod Canonem eum in tomis Conciliorum non repererit, colligit, esse ficticius. Colligat: quid hoc ad nos, quibus constat, collectionem hominis esse non Catholici futilissimam. Qui Cocus, ut magis quoque suam nobis aperiat indolem, Concilium istud x Kal. Decembr. cIo cccc xxxix dissolutum fuisse autumat: quod itidem falsissimum est; quandoquidem soli Græci, re cum ipsis prid. nonas Iulii cIo cccc xxxix composita, discesserunt, Eugenius IV autem cum reliquis manserunt, & Jacobinos Armenosque itidem conciliarunt sibi prid. nonas Februarii cIo cccc

cIo cccc xli; ac demum, iv Kal. Maji cIo ccccxlij celebrata Sessione, Concilium Romam transtulerunt, ejusdem Eugenii imperio. Quem & Cocus appellat *Schismaticum Papam*; incredibili impudentia; quum nempe legitimus Christi Prorex ille, Sabaudia vero Dux Amedeus ex Eremita factus à schismaticis eique oppositus tunc Pseudopapa fuerit, Felix V nomine. Elifimus argumentorum tuorum unum: superest alterum. Ludovicum, Archiepiscopum Florentinum, subscripsisse unà definitivæ in Græcorum negotiis, constat. Nondum ergo tunc Antoninus infulam eam gessit. Interfuerit nihilo minùs ipse (quod neque inficiamur) actis concilii hæctenus; ubi nihil de Scripturarum Canone tractatum; an & interfuit postea, quum satisfaceret Jacobinis atque Armenis? Nemo id asseveraverit, quum neutiquam sic de eo constet. Immo, quid si neque deinceps Unionis ejus formulam compererit unquam; utpote solis Jacobinis & Armenis impertitam, atque aliàs in archivo tantum Pontificio aliove custoditam, seorsim ab actis Concilii reliquis, indeque tam diu ab hisce disiunctam, & plerisque incognitam? Resciverit indidem denique & Canonem Scripturæ; quid hoc ad rem? Non, inquis, de Canone contra tunc scripsisset, parte tertia summæ, titulo xviii. Quid si vero, aio ego, scripserit istud, sicuti & nostrâ opinione scripsit, non postea, sed multo ante? Propero ad alia.

VIII. Nondum igitur Hornejus debellavit sententiam de libris illis nostram. Quomodo jam stabilit simul suam? Traditione, inquit, Ecclesiæ, ab initio hucusque continuata. Militare quippe pro se putat, seculo primo Josephum Judæum, secundo Melitonem Sardanensem; tertio Origenem; quarto, Athanasium, Hilarium, Concilium Laodicenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Greg. Nazianzenum, Amphilochem, Epiphanium, Hieronymum, & Ruffinum; sexto, Leontium; octavo, Io. Damascenum; nono, Strabum Fuldensem; duodecimo, Hugonem & Richardum de S. Victore; decimo tertio, Hugonem Cardinalem, & Nicolaum Liranum; decimo quinto, Antoninum; decimo sexto, Franciscum Ximenium & Thomam Cajetanum, Cardinales: quibus denique subjicit, de qua nos aliàs, Ecclesiam Græcam hodiernam. Largiamur nunc, penitus ita rem habere. Uno verbo, nego pernegoque, esse traditionem hanc Ecclesiæ ipsius. Neque enim Josephus erat Synanoga V. T., neque ab ea jussus istud scripsit; & Ecclesia nostra potuit è libro V. T. divino facere librum N. T. Canonicum, ut supra confirmavimus: neque Melito plus quam homo unicus privatusve scriptor fuit, sicuti neque Origenes, neque Leontius, neque Strabus, neque Antoninus; quorum tamen singuli, legislatore quidem Hornejo, sustinent Ecclesiæ universæ personam, integro quisque suo seculo. Ponit Hornejus quidem seculo quarto Patres octo, & unum concilium particulare: sed nec horum attestaciones agnovit Ecclesia

ipsa pro suis; verum, occasione ipsorum, deprehenditur impro-
basse potius illas quinto seculo per Innocentium I, Gelasium I,
aliosque. Licet enim, qui congregati sunt in ejusmodi Synodo,
quam Ecclesia ipsa ratam habet postea, (ut Laodicenam, quo-
ad Scripturarum ibi Canonem, non habuit,) sequantur interdum
alios Patres vel totidem vel non multo plures; tamen id non fit
ideo solum, quia Patres illi mentem suam libris in lucem datis
explicuerunt; sed quia communi cæterorum Præsulum Catholi-
corum consensu, non ita scripto sed viva voce prædicato, cen-
sentur docuisse mentem Ecclesiæ ipsius. Quod & notavimus Ar-
tis novæ Coronide, sub finem paragraphi xiiij. At, in casu nostro,
secus comparatum est. Augustinus, inquam, Juliano, ab no-
vem Patribus allegatis provocanti ad Episcopale judicium &
Synodum, in negotio de originali peccato, dixerit sub finem libri
contra eum secundi: *Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregare-
tur, mirum si tales possent illic facile sedere tot, puta excellentiores. An
inde conficitur, quod Hornejus vult, mentem Augustini fuisse,
si ex toto orbe Synodus congregaretur, tantam ejus auctoritatem esse
non posse, quanta tot & tam excellentium doctorum veterum esse debeat,
ac proinde absurde ab hisce ad Concilium provocari?* Nihil minus. Ne
cogitavit quidem Augustinus id unquam. Novem enim Patres
illi, singuli, minore pollebant auctoritate, quam si juncti con-
sultassent judicialiter & pronunciaissent: quod ipsum si etiam fe-
cissent, necdum tanti tamen esset eorum decrerum, quanti fo-
ret, ubi accessisset consultatio & confirmatio ab assidentibus in
Concilio, generali præsertim, Patribus cæteris, utut non ita edi-
to libro ullo claris. Hoc sicuti optime scivit Augustinus, ita uni-
ce voluit istuc: Tu, Juliane, non acquiescis hisce doctoribus, &
effugium quæris ad Synodum. quare? an, quia plures ibi tanti
viri erunt iudices? plures quidem sedebunt, at in his fortasse non
totidem ita præstantes, ut sunt novem isti. fortasse, inquam;
fieri enim, licet haud facile, queat, ut sint plures; quum nempe
in Concilio Nicæno numerentur, ut sancti ita & rerum sacrarum
periti, plures, quantumvis non omnes fuerint scriptores. quare
igitur novem illos respicis, Juliane? perperam facis; præsertim
cum constet nobis, non eis adversari sed assentire omnes reliquos.
*Non aliud sensisse illos, quam cæteros omnes collegas suos, nemo dubita-
bat;* ait in simili casu Vincentius Lerinensis, cap. penultimo. A-
deoque etiam Augustinus, eodem prorsus consilio, lib. I con-
tra Julianum, cap. iv, quum sex tantum Patres, eosque omnes
Occidentales, protulisset, quibus nemo Catholicorum contra-
dixerat, consensum Ecclesiæ sibi protulisse videbatur. An igitur
majoris fecit ipse effatum novem Patrum, quàm Synodum œcu-
menicam? Dormitat, affirmans id, Hornejus. Immo, Augu-
stinus, quia defensor Ecclesiæ, & sic Respondens, Pelagii tamen
asseclam Julianum, Ecclesiæ rebellem & Opponentem sive Acto-
rem, docere simul quærens, adducebat pro sese Patres illos no-
vem,

vem, quos omnes ac singulos Ecclesiæ sententiam calluisse ac tenuisse norat; ut diximus. quid autem id iuvat Hornejum contra nos, dum ipse non Respondens itidem est, sed Opponens sive Actor, & allegat pro sese, in negotio de Canone Scripturæ, Patres, è seculo quarto quidem octo, duosque his antiquiores, quos perspectam habuisse Ecclesiæ mentem ac recte docuisse, negamus, ut negavit jam olim Gelasius I, & ante hunc Innocentius I; qui duo, Patribus longissime pluribus maximeque authenticis, opinionem octo vel decem illorum, quia scriptam, haudquaquam nescientibus, & viva voce contradicentibus ei tamen, fidem potius adhibendam, arbitrabantur; & merito quidem. Confundit igitur Hornejus insuper, ut solet, Respondentis & Opponentis munia: quo nihil turpius. Quid, quod neque aliàs ibi octo Patres illi favent Lutheranis? nam sicuti privatim, ita, quia videlicet nostri, conditionaliter, suam scripserunt sententiam; si nempe Ecclesia idem judicaverit; & sic in recessu idem cum hac senserunt: quod Hornejus cum suis nequaquam facit. Ecclesia autem per Pontifices illos duos, ut & per Patres Concilii Carthaginensis, non privatim scribentes, sed judicialiter auctoritate ejusdem publica discutientes negotium ac decernentes, contra octo istos docuit. Ergo hi octo senserunt verissime idem illud cum ipsa in recessu; (itidem ut in rebus ad fidem & religionem pertinentibus aliis facit semper Catholicus quivis; qui & immunis eapropter ab errore, utut erret.) Et sic absurdissime eos allegat pro sese Hornejus, ejuscemodi conditionem nequaquam subaudiens, sed absolute potius loquens; quod rebellantium regiæ suæ Matri sic est proprium, ut inde discernantur à Catholicis. Quod autem dixi de Patribus illis octo, id eodem prorsus modo dico de Canone Laodicensi quoque. Sicuti enim Concilium hoc non nisi particulare fuit, ita nec repræsentavit Ecclesiam universam; atque itidem submitit se hujus judicio, tanquam soli infra Deum hinc ultimo & infallibili. At, inquires, quomodo fieri potest, ut non explicite viri tot primarii sciverint Ecclesiæ sententiam? Respondeo. Quasi vero talia non contingant apud Catholicos creberrime, præsertim in rebus non ita necessariis cogniti, ut sunt articuli, Symbolo Apostolico comprehensi. Quis autem nostrum dixit, ita esse necessarium, nosse, an libri V. T., qui non exstant Hebraice, sint Canonici? Nemo. Et quid mirum, in Ecclesia interdum aliquos nescire mentem Ecclesiæ, quum in homine individuo tale quid contingat? an enim non occurrunt ei cogitatiounculæ, prius quam senatum cogitationum convocaverit, omniaque memoriæ loculamenta sedulo excusserit? an vero quælibet harum dicenda proprie istius hominis sententia? absit. At, perges, Leontius, Damascenus, Strabus, Hugo Abbas & Richardus, Carensis & Liranus, Antoninus item, & cum Ximeno Cajetanus, sciverunt mentem, quam nos agnoscimus, Ecclesiæ, & aliter tamen senserunt. Nego, eos scivisse eam: ne-

que demonstrabis tu nobis contrarium. Non enim tunc mundus rot abundabat librorum exemplaribus, quot hodie. Taceo, quod neque seculi quinti, ad nostrum quidem captum, neque septimi; neque certe seculorum duum, decimi scilicet undecimique, immo neque decimi quarti, scriptorem adfert pro sese Hornejus ullum: ubi autem series ita interrupta, ibi Traditio, ipsomet iudice, non est continua; maxime quum antiquioribus contradixerint, seculo quinto, Innocentius I, nec non cum hoc & Synodo Carthaginensi, vel Augustino quoque, Gelasius I; ut & sexto Cassiodorus, & septimo Isidorus, & nono Rabanus, & decimo quinto Patres Concilii Florentini; ut nil de Tridentinis jam dicam.

IX. At, inquit Hornejus, quarti seculi Patres octo sunt, iidemque non antiquiores tantum Innocentio I, sed & plures illustrioresque, tametsi duobus hisce accensito etiam Augustino. Falsissimum est. Innocentius enim decretum suum condidit auctoritate Proregia, & sic ante consultis judicialiterque auditis rerum istiusmodi peritissimis; præsertim cum derogandum esset sententiæ, in Urbe notissimæ, tot antiquiorum Patrum, tanquam non satis edoctorum hinc ab Ecclesia ipsâmet. Patrum autem eorundem quisque de Canone scripsit non nisi privatim, quantum, suggerente memoria, compertum habuit, sibimet solus & consultor & consiliarius. Quod quicumque facit, quantumvis Romanus etiam Pontifex foret, nequaquam tanti est, quanti nobis eo in casu Innocentius I, quoad auctoritatem hinc & speculativam, quam vocant, & practicam. Qui revera non solum pluri æstimandus ibi, quam unus Pater, sed & pluri quam Patres ejusmodi dispersi centum: quandoquidem ad Sedem Romanam referuntur ab initio plura longe & solidiora, quam ad singulos alibi Patres, & multo plures Roma domi & per orbem Patres potest obstringere, quia sibi subditos, ad inquirendum, ventilandum, ac proloquendum omnia quam sufficientissime exactissimeque. Sed Hornejus id intelligere nequit, quam diu nescit, Patres esse non solos illos, qui libris in lucem emissis clari, sed omnes etiam alios Episcopos cum doctoribus, qui scripsere sic nihil calamo, linguâ plurimum; aliud item esse Patrem asserentem quid privatim, aliud Patrem auctoritate publica pronunciantem, & aliud Patrem Patrum, Proregium suum munus obeuntem in Cathedra suprema sua; Patres denique illos, quatenus constituunt quidem corpus unicum sub Christo Rege, sive domi quisque suæ sint sive congregati unâ fuerint, ita à Spiritu sancto gubernari, ut nunquam halucinentur universi in fide. Hæc, inquam, Conradus noster ignorat. Hinc, sicut à Christo institutum Ecclesiæ regimen generale negat, ita Innocentium I, in casu nostro, præsupponit, nihil esse aliud, quam privatim in Ecclesia Patrem, ut fuit octo istorum quilibet. Quod posterius perinde est, ac si Imperatoris Romani decretum pro toto Imperio non majoris fieri vellet, quam sententiam Jurisconsulti cujusdam

dam

dam Helmstetensis, privatim in cubiculo conscriptam: illoque
verbi gratia, Constitutionem, anno cIo Io Lv factam, ita in-
terpretante, ut, è manibus Lutheranorum solum qui Ordines
Imperii, neget, repeti posse in foro possessiones Ecclesiasticas,
quas ante occupaverint; Joanne autem Lotichio privilegium id
extendente ad Ordines provinciales, Principi Catholico, qui de-
mum Imperii Ordo proprie, subditos. Quo pacto posset & elu-
di semper Dux Brunsvigius cum suis legibus & edictis omnibus;
vel unico nempe subditorum ipsius contradicente, quia sapere
viso penes semet sibi longe profundius. Verum, ita sapiebant Sa-
tanæ & parentes primi, quum, aspernantes præ opinione sua le-
gem Dei, in exitium ruerent. Æquiparat Horneus porro Patri
solum uni privato & Gelasium I; ut ait fassus huic ipsemet scrip-
sisse decretum de Canone suum in Concilio Romano, & quidem
cum Lxx Episcopis, hoc est, Patribus. Quod profecto magis
etiam intolerabile: quum nempe vel unius eorum Lxx Episcopo-
rum suffragium, cum subscriptione nominis ultimum, pluris æsti-
mandum sit, quam testimonia Patrum illorum octo, secus priva-
tim ante loquutorum de Canone. Quare? Quia is, non suo so-
lius ingenio aut studio fretus, verum scrutatus antea domestico-
rum suorum intelligentissimorum judicia quam altissime, (ut
fieri amat in conventibus publicis, ubi maturitate sententiarum
ac pondere certatur,) & gnarus jam quoque ex consultationi-
bus in Synodo præmissis, quid reliquorum Episcoporum quisque,
& quibus fundamentis nixus, asseveraverit. Carthaginensi de-
mum Concilio quinti seculi, ubi decernitur pro nobis, opponit
Horneus Laodicenum, vetustius, quia celebratum circa annum
ecc Lxiv, (si non potius aliquamdiu ante ipsum concilium gene-
rale Nicænum, quod triginta pluribusque annis antè.) Perpe-
ram iterum. Primo, quia, præter Carthaginense, suppetit no-
bis & Romanum, cui præfuit Gelasius I: ac frustra opponeres
huic Romano Constantinopolitanum, quod in Trullo subscrip-
serit Canoni Synodi Laodicenæ; neque enim hoc nisi longe post
demum celebratum sub seculi septimi finem, neque receptum ab
Ecclesia, sed reprobatum potius, ut historiarum periti sciunt.
Deinde, quia Carthaginenses Patres, tanquam ad Occidentalem
Ecclesiæ partem spectantes & ab urbe Roma propiores, rescive-
rant indidem Ecclesiæ mentem, prius promulgatam per Inno-
centium I; Laodiceni vero, sicuti eodem Pontifice antiquiores,
ita Orientales longeque distiti in Phrygia, necdum de illa inau-
dierant, quin & assensu implicito, ut è superioribus liquet, pri-
marioque in eam conspiraverant.

X. Nequaquam igitur demonstravit nobis Horneus, opinio-
nem de Canone suam fulciri Traditione Ecclesiæ, ab initio in
hanc usque diem perpetua. Neque enim talis Traditio ipsius Ec-
clesiæ fuit ullo unquam seculo, sed solummodo privatorum Ec-
clesiæ membrorum, eidem suæ Matri subjicientium hinc sese ul-

tro,

tro, de cætero autem ab ea non receptorum in præsentem negotio, ut optime notorum: perinde ut neque recepta assertio Conradi Lichtenauii de Lothario Saxone, & quorundam vetustissimorum de fabrica Crucis Dominicæ; veluti monuimus in Anticritico. Ac proinde multò minùs obtinuit Hornejus, Canonem ipsius esse solidiorem nostro. Qui vir si distingueret inter sagittas, humi sparsim jacentes, & easdem in fascem constrictas vinculo, quod scindi nunquam Deus ipse permittat, adeoque vel unico huic ænigmati solvendo par ingenium esset fortitus, ut Catholicorum quivis; non utique tam insignem triconem semper in theatro ageret, nobis inspectantibus.

XI. Scio, fusius edisseri rem posse; præsertim quum non tantum anno cIo Ioc xxxij sic desipuerit Hornejus, in Catholicorum judicem superciliosum sese efferens, ubi nil nisi actor est, & audire quoque eos ante, quam decerneret, potuisset ac debuisset, (maxime, quum, qui accusat reum coram reo solum, seu coram iudice legitimo nullo alio, reum hoc ipso constituat, ut Respondentem, ita iudicem, saltem dialecticum;) verum & anno cIo Ioc xliij, Disput. II, sect. II, eodem adhuc modo desipiat. nimirum, quia garrindo exercere se amat, ut literatuli solent, & applausu fruitur suorum, qui ducuntur affectu potius, quam ratione recta & serena, nec audiunt contra, ut debebant, eruditos nostros; ideo somniat, intelligentiorem se esse totâ Ecclesiâ; utut ne unicum quidem proferre argumentum contra nos ausit, cui insistat soli, donec finitum negotium, quæ quidem nimis magna sanæ mentis in ipso penuria est: quum profecto, si sapere ipse vellet, à Catholicis Doctoribus discere priùs deberet, quod, juxta cum Calixto, nescit funditus, alphabetum veræ sapientiæ atque eruditionis Theologicæ. revera enim id hominum genus non secus honorat Ecclesiam Catholicam, ac si petulantes pueri, Scepticorum aliorumve nugatorum putidis argutiis capti, indeque soli sapere existimati sibi, omnem hæcenus receptam Geometriam & Arithmetica, immo omnia principia prima theoretica & practica, exhiberent confestim, omnesque disciplinarum earum doctores eruditissimos ac sapientissimos, & rerum publicarum cum primis rectores ipsos, indignos qui sufficienter audiantur censitos, domiciliis, fundis, redditibus, jurisdictione, spoliarent, spoliatisve illuderent, reprehensi verò isto nomine à læsæ tantopere civitatis cuiuspiam optimæ subdito, clamorem ad fidera tollerent, quasi atrocissimam ab illo passi injuriam, convitiarum plaustris compensandam. eò, inquam, res rediit. Sed pauciloquus nunc, data opera, sum: laxaturus aliàs frenum calamo, si res postulaverit. Sufficit, exiguo hic edito specimine monstrasse, quid sentiendum de verbosis illis Horneji contra Catholicos dissertationibus. Neque enim nobilioris monetæ sunt, quæcunque adversus Matrem in terris nostram, & Reginam, post Regem Christum supremam, effundit ipse illic præterea,

Scripti, Aprili cIo Ioc xlvj.

EPIME.

EPIMETRUM.

DE veritate religionis Christianæ librum Hugonis Grotii omnibus numeris absolutum audire, Georgius Calixtus ait, sub initium Exercitationis de sanctissimo Trinitatis mysterio, disputatæ Kal. Mart. c15 Ioc xlv. Accipimus. atque, occasione inde arrepta, aliquid è Grotii lucubratione ista, in usum nostrum, excerpimus. Itaque is libro tertio: *Qui affirmat mutationem, præsertim adversus scripturam, diu lateque receptam, is, quod intendit, probare ipse debet. L. ult. C. de Ed. Divi Adriani tollendo.* Et supra: *Usitata apud omnes æquos iudices regula est, qui impugnare velit scriptum aliquod, multa per secula receptum, ei incumbat onus adferendi argumenta, fidem scripto derogantia: quod si id facere nequeat, defendendum librum velut in possessione suæ auctoritatis. Baldus in rubrica de fide instrumentorum. Vide & Gailium lib. II, obs. cxlix, num. 6 & 7, & quos ibi profert.* (non solum autem scriptura in chartaceis lapideisque tabulis est, verum & in cordibus eorum, qui Ecclesiam Dei constituunt.) Quid sodes videtur Calixto, secus arbitrari solito, voluminibus mihi oppositis? Qui, interim dum tacet, per me licet capiat sibi quoque è Gregorii Nysseni nostri oratione tertia contra Eunomium, istud: *Sufficit nobis ad nostri dogmatis probationem, quod venientem ad nos à majoribus traditionem habemus, velut hereditatem quandam, per successionem ab Apostolis, continuata per sequentes sanctos serie, transmissam. At illi, qui ad novitatem istam fidei dogmata convertunt, multis opus haberent rationum præsidis, si vellent, non pulveris instar leves & agitabiles, sed graves & animo constantes homines, ad suam sententiam adducere. Quam diu verò rudis, nec ratione ulla perpolitata, aut argumento probata, prodibit eorum opinio; ecquis ita fatuus ac pecudi similis erit, ut Evangelistarum, & Apostolorum, ac ceterorum qui in Ecclesiis postea floruerunt, imbecilliores putet esse doctrinam, quam nugacem istam loquacitatem, omnis funditus demonstrationis expertem?* Sic ille. Ego vero, quoniam letale vulnus unicum sufficeret Ecclesiæ nostræ è medio tollendæ, seu dissipandæ, postulavi à Calixto contra nostram fidem argumentum peremptorium non nisi unicum: certus nempe, ne minimum quidem tale suppetere ulli mortalium, atque ergo rei Lutheranæ inanitatem eo pacto proditum iri Calixti ipsius iudicio. Sed anni sunt jam quatuordecim, quod tergiversatur, ac fremit solum frendetque dentibus. Quare? Pandam ego. Quia invitissimus agnoscit, esse verissimum, quod ab Dionysio Petavio tandem quoque, Prolegomenorum in Theologica dogmata cap. VI, scriptum, intellexit è nobis: *Dicam id, quod sæpe multumque perspexi; credo & alii deprehenderint, qui hereticis, disputando vel eorum legendo scripta, operam aliquando dederint; nullum eos, nisi vitiosum & male coherentis argumentum facere contra Catholicam fidem.* Atqui non pauci
sunt

sunt inter illos, dialecticæ minime rudes, sed qui plurimum in illa otii ac laboris contriverint, ut ejus etiam disciplinæ præcepta aliis traderent. At iidem isti, cum aliis in rebus rectam teneant ex regulis argumenti conclusionem, ubi ventum est ad fidei controversias, repente, velut artis obliti suæ, jam nulli dialectici sunt, ac meros παραλογισμῶν, & perversas rationes, proferunt. Idemne autem reapse sentit Calixtus? Omnino: & cum Hornejo quidem. Sed unde nam de eo constat mihi? Patescit hoc non nihil inde, quod bonus Calixtus noster videtur esse de profapia Fabii Cunctatoris verius quam Celeris; dum nempe ad disputandum, & sic ad probandum probanda, se dudum obtulit Erbermanno, eumque Francofurti adesse voluit, quasi paratissimus, & nondum tamen ipsemet adesse dicitur, paratissimo illo. Patescet vero nunc magis etiam ex iis, quæ scripsi nuper in *Pastillo* meo, necdum edito. Audiamus illa.

Sanctus Thomas Aquinas, inquam, estne scriptor Catholicus nobis? Nemo inficiabitur, qui norit eum. Inspiciant, qui non norunt, vel indicem quartum Summæ Theologicæ viri hujus; qui index, ut inscriptio habet, *indicat refutationem præcipuorum dogmatum, quæ hodie ab hæreticis asseruntur*. Quod si ulterius inquirere voluerint, audient, per totum fere mundum Theologos nostros in Academiis duce eodem ac magistro uti; audient item, apud Lutheranos omnes vel inde maxime ipsum esse exosum, quod & maxime fit Catholicus, & à tota Ecclesia Catholica nostra æstimetur plurimum. An vero id nescit Helmeſteri Conradus Hornejus? Absit, absit. An ergo nesciat Hornejus, quum S. Thomas de fide sua, ejusve doctrina, loquitur, loqui ipsum non de fide quacunque, aut cujusquam, ab Ecclesia nostra averſi, sed de fide solummodo nostra Catholica? Profecto, væ illi, qui de Hornejo affirmare hoc audeat. Bene. Quid verò sentiunt Helmeſtenses alii de Disputationibus, ab Hornejo conscriptis, & anno cIo Io xliij editis? Clamat eorum quilibet: Euge, lando, applaudo. Etiamne Calixtus? Hic equidem, si vel taceret, consentire dicendus esset: atqui non tacet, sed loquitur de illis, & honorifice quidem; ut edoceor à fide dignis, tanto etiam facilius eis credens, ex quo Disputationum volumen istud allegari video in Exercitatione Calixtina de sanctissima Trinitate. Itane? Ergo nunc ad rem. Sed Hornejus, inquam, disputationum eorum quarta, sectione I, paragrapho x, non modo Thomam Aquinatem, perinde ac nos, vocat Sanctum, verum etiam ait, recte ab eo scriptum, parte I, quæst. I, artic. viii: *Cum fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit, de vero demonstrari contrarium; manifestum est; probationes, quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta*; additque insuper, eadem ista argumenta eidem sancto Doctori, lib. i contra gent. cap. vii, esse *rationes in speciem tantum probabiles, & sophisticas*. Fatetur autem Hornejus, ut diximus, loqui S. Thomam de fide nostra,

nostra. Et S. Thomas per *argumenta & rationes* non solum intelligit ea quæ excogitantur ab hominibus, nullum Scripturæ textum allegantibus, verum illa quoque, quæ proferuntur, adhibitâ quidem Scripturæ literâ, sed in sensu, à Spiritus sancti intentione & Ecclesiæ Catholicæ mente alieno, & sic non nisi mere humanis frivolisque argumentis argutiisve suppeditandis idoneo; perinde ut neque lupus est ovis, sed manet lupus, utut ovina pelle tectus: quæ rationes magis etiam sophisticæ sunt pejoresque cæteris; quemadmodum videlicet pestilentior lupus, personam oviculæ gerens, lupis aliis. Quod itidem nec latet quemquam, neque ab Hornejo unquam negabitur; nisi si sophistice tractare S. Doctoris verba ipse voluerit: quod quidem de se dici totus refugiet, scio. Faretur ergo Hornejus disertissime, juxta cum S. Thoma, nullum è Scripturis argumentum contra fidem nostram construi posse, quod non sit sophisticum, ac proinde solubile. Immo faretur istuc idem cum Hornejo Calixtus; fatentur cum utroque Helmestetenses cæteri; quin &, quicumque per totam Saxoniam inferam sunt admiratores de-prædicatoresque sapientiæ Calixtinæ atque Hornejanæ. Non quæram, an inde non habitari Lutherani reliqui occasionem cogitandi & eloquendi, Calixtum, & quidem cum Hornejo, esse Cryptopapistam potius, impliciteve nostrum, quam sincerum Lutheranum, ac proin Statium Buscherum, tametsi in foro damnatum, firmo interim contra eos fundamento, si causam suam agere scivisset, fuisse subnixum. Gratulor solum Catholicis, eo deventum esse, ut hi homines ipsimet profiteantur cum S. Thoma, meras esse nugas, quicquid objicitur, tum ab aliis, tum à semet ipsis, contra fidem nostram Catholicam; ac proinde nec esse mirum de Calixto, quod stare loco nesciat, sed pulicem saltitantem, cum prensatur, agere malit, sive semper ad alia provolitare, atque unice cæteroquin deponere, ut sibi nos potius demonstremus nostra, quæ ipse neget: qui nullam ipsi tamen demonstrationem debemus hætenus. Optimè res habet. Sternutatio Helmestetensium isthæc signum bonum est causæ malæ. Io triumphe. *Te Deum laudamus.*

Sic ibi ego. Subdamus verbulum. Adversus Ecclesiam Catholicam contendit Calixtus, unicuique, panem Eucharisticum comedenti, præceptum à Christo absolute, ut bibat etiam è Calice. Unde id autem persuadere se nobis posse putat? Quia, inquit, à Christo, in cœna ultima, & *Edite & Bibite* dictum Apostolis, referentibus personas omnium & singulorum Christianorū. Negamus. Sicuti enim duodecim viri isti, quum edendum esse audirent, laici erant; ita, quum Christus eis auctor esset ut biberent, potestatem quandam præcipuam, quæ Presbyterorum est, adepti fuerant quidem, non tamen bibebant Eucharistiam, ut Presbyteri, Missam celebrantes, verum ut laici. Quid si ergo, voce *Bibite*, dixerit ipsis, velut laicis, non nisi suas ipsorum gerentibus personas,
ut eâ

ut eâ vice, post esum, biberent? quomodo nempe etiamnum illi,
qui vitæ genus amplectuntur aliud altiusve, indicari consuevit, ut
ibi tunc ad sacram Synaxin accedant; neque tamen hoc ipso il-
lis imperatur, ut postmodum idem peragant sæpius, multo mi-
nus verò aliis, ut eos imitentur. Probet igitur Calixtus contra-
rium: neque enim sufficit nobis, quod ipse cum suis id affirmat;
præsertim quum Ecclesia nostra ipsa non docuerit illud unquam,
neque nobis præjudicet, si privatorum unus alterve tale quid
conjectaverit. Attamen, inquit, si Christus, alloquutus ibi
Apostolos, Christianis aliis nihil dixit, sequitur, eum verbis,
Edite, Bibite, pro nemine Christianorum aliorum instituisse usum
Eucharistiæ. Sequatur, inquam. an hoc nobis obest? nihil mi-
nùs. At, ait, absurdissimum tamen illud. Probetur nobis id, ajo
ego. Sed Calixtus probat ejus nihil. Cur igitur nostræ senten-
tiæ renunciemus? maxime quum sciamus, alibi, seu verbis aliis,
institutam à Christo Eucharistiæ sumtionem, tum pro celebra-
ntibus Missam Presbyteris, tum pro non celebrantibus. An ergo,
inquies, non verbis illis aliis continetur præceptum Salvatoris
pro unoquoque, de bibendo, post esum, è Calice? Nego: ne-
que contrarium demonstratum est nobis unquam; quod suo loco
reddimus perspicuum; ubi videlicet unà evincimus, neque
Catholicorum, ab Calixto adductorum, quemquam ullo se-
culo id docuisse, quod ipse de præcepto illo divino sibi imagina-
tur, immo neque ullam hodie nationum Christianarum id doce-
re in Asia & Africa. Nunc non nisi inculcamus toti mundo; ex
verbis Christi, *Edite, Bibite*, neutiquam effici, præceptum esse
illi, post ejusdem Salvatoris mortem sive Missam celebranti sive
non celebranti, ut vel edat, nedum ut, quum ederit, bibat pariter:
ac proinde succumbere Calixtum hîc evidentissime, & quidem
cum ipsamet Augustana Confessione sua, utpote fundamentum
collocante unice in illo, *Bibite ex hoc omnes*. Conflentur jam ve-
rò & millies milleni Calixti atque Horneji in unum; suo tamen,
quod andivimus, argumento, sic à nobis profligato, medici-
nam prorsus nullam invenient; scio certissime. Et quid verbis
ultra opus est? Habemus accusatores illos ipsos id ingenue con-
fidentes. Ajunt enim cum S. Thoma, ut abunde cognovimus,
quicquid argumentorum adferatur contra fidem nostram Ca-
tholicam, sophisticum esse atque dissolvi posse sine dubio. Quid-
ni itaque & hoc peculiariter nomine exclamem: *Io triumphe;
Te Deum laudamus*. Immo, quidni subjiciam: *Sit nomen Domi-
ni benedictum, ex hoc nunc usque in seculum; Alleluja, alleluja,
alleluja.*

F I N I S.

Theol. vath. B. 1102

